



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

II. Staupicius Luthero concionandi dat negocium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

Sed ut Pammachius, testante Hieronymo, ad Damasum Papam dicebat: *Fac me Pontificem Romanum, & Christianus ero:* sic Lutherus illud dubenter, credo, dixisset: *Facite me Cardinalem, & ero Papista.* Idem quippe Lutherus eodem plane Anno & mense fere scribere ausus fuit Tom. 9 VVit. fol. 23. & Tom. 1. en. pag. 58. & 60. longe aliter: nimirum sic: *Si Roma sic sentitur & docetur, nempe aliter quam Lutherus, Scientibus Pontifice & Cardinalibus, quod non spero, libere pronuntio hu scriptis, Antichristum illum verum sedere in templo Dei & regnare in Babylone illa purpurata Roma; & curiam Romanam esse Synagogam Sathanae: & paulo post, si sic Roma credit, beata Gracia, beata Bohemia, beati omnes qui sese ab illa separarunt, & de medio illius Babylonis exierunt: Dammati vero omnes, qui ei communicauerunt, &c. & post pauca; Nunc vale infelix, perditam & blasphemam Roma &c.* Extant hæc etiam Tom. 1. Latin. operum Lutheri. pag. 170. qui in altera Epistola tunc data multo apertius classicum Martis canit aduersus Romanos, ista scribens: *Mihi videtur, si sic pergat furor Romanistarum, nullum reliquum esse remedium, quam ut Imp. Reges & Principes vi & armis accincti aggrediantur has pestes orbis terrarum, remque iam non verbis, sed ferro decernant.* Et paulo post: *si fures furca, si latrones gladio, si hæreticos igne plectimus, cur non magis hos Magistros perditionis hos Cardinales, hos Papas, & totam istam Romanam Sodoma Colluuiem, quæ Ecclesiam Dei sine fine corrumpit omnibus armis impetimus & MANVS NOSTRAS IN SANGVINE ISTORVM LAVAVS? Hæc omnia, iste ad pedes B. Leonis Papæ X. prostratus humilis monachus: ut mirum non sit, multos ignaros omnium eius scriptorum & actorum, inspecta solum particula aliqua, mirifice condolere Lutheri, tanquam non bene intellecto, vel non audito. Nouerat ille tempori & loco seruire, ut patet vel ex dictis his paucis. Porro ex Augustanis Comitibus Imp. Maximilianus Leonem Pontificem mouit de turbis per Lutherum excitatis, uti prouideret. Ille 7 Augusti literas citationis Lutheri intra 60. dies Romam, edidit, quæ VVittebergam perlata trepidationem causerunt ad tempus, Lutheri omnia circumspiciante, qui demum id Consilij inijt, ut per vniuersitatis VVittebergensis Professores effugium reperiret, quod & inuenit. Itaque & hi & Fredericus Elector Saxonie, intercesserunt literis Romam datis, laudando doctrinam excusandoque innocentiam Lutheri, ut is non Romæ, sed in Germania audiretur, (a) quod Pontifex gratiam*

faciens Electori indulse, & Cardinali Caietano Thomæ de Vio, tunc apud Casarem Maximilianum Legato sedis Apostolicæ commisit, ut is Lutherum Augustam euocatum sine strepitu iudicij in viam reuocaret, quod idem ierjo & diligenter egit, cthi spe sua sit frustratus, Luthero & suis Cardinalem eludentibus.

II. Ea iudificatio ut clarius perspiciatur ab initio repetendum est, quod quidam Dominicanus seu Iacobita, Syluester Prieras nomine, (celebris Theologus, qui Summam illam ab se Syluestrianam denominatam composuit, actum Papalis Palatii Magisterio fugebatur) Luthero sese opposuit: quumque abulsa à Luthero notatos nec celare nec excusare posset, multa de Pontificis auctoritate disputauit, quam supra Concilia, adeoque omnem in terris potestatem eleuabat. Quemadmodum vero hic S. Sedem ad cælum vsque scriptis suis extulerat; ita Lutherus eandem contrarijs assertionibus ad infernum vsque deprimere studebat, dicens inter alia: *Si vera sint quæ à Siluestro asseruerentur, Romam non S. Petri, sed Antichristi esse sedem, &c.* Mox alius Dominicanus prodijt, Iacobus Hochstratanus nomine, ad dira supplicia Lutherum deposcens. Nec Tecelius interim quiescebat, à quo primum cum Luthero certamen erat susceptum: sic ut Dominicanus gloriam profligati ac deuicti Lutheri vindicare sibi voluisse, videantur, forte Pontificij Legati, qui Dominicanus fuerat, auctoritate & fauore præcipuo confisi: illaque etiam Indulgentias prædicandi inuidia atque æmulatio nondum placuisse extincta. E contra à Luthero plerique ex Augustinianorum ordine stabant: quorum multi postea desertis Monasterijs, Luthero sese associantes, sibi ipsi exitium, & religioni multa damna procurarunt. Nō multo post alij quoque Theologi huic se certamini immiscuerunt: inter quos Bccius fuit, vir magni nominis & exquisitæ doctrinæ viri & Emserus & Cochleus. Lutherus vbi se à tot tantisque viris pressum vndique vidit, tamquam fera belitia è latebris protracta, faciem opposuit, ut missum se faceret clamans. Id si minus impetraret, cum Iunone apud Virgilium protestabatur: *Flectere si nequeo superos, Acheronta mouebo.* Ego, aiebat, si persequi me non cessabitis, egregie me vlciscar. Sed in tanta profecto est ita vindictam de alio sumere ut & ipse percas potius quam

F

quam

a. Idem fol. 15. AÆ. Luth.

quam iniuriam feras. Et sicut aper à canibus cinctus, ubi euadere non potest, clunibus insidens pilosque ferrugens nudos ostentat deates, ac inter venatores in eum potissimum quem venabulum intentare sibi videt, irruit: sic Lutherus vadique laceffitus & oppugnatus, & ipse quidem nemini pepercit, præcipuum tamen impetum in Eccium & Sylvestrum Pricratem conuertit, & Caietanum eluifit.

III Verum ut ijs qui de lenissimis etiam rebus inter se contendunt, noua contentionis materia quasi sub manu nascitur, sic ut sæpe de verbis ad verbera veniatur: sic hæc de Indulgentiarum abusu, per earum præcones commisso, disputatio mox alias secum traxit, adeoque disquiri à nonnullis cœptum est: Vtrum Papa Indulgentias viuus & mortuis dispensandi potestatem habeat? Vtrum bona opera meritoria sint & satisfactoria? Quæ differentia inter peccata mortalia & venialia sit constituenda: & complures eiusmodi quæstiones, quas Lutherus initio attingere aut in disquisitionem vocare noluit. Quamuis enim Indulgentiarum præcones à Moguntino Archiepiscopo delegatos magna vehementia inuasisset atque increpauisset, nec sanctam tamen Indulgentiarum institutionem, neque absolutam Pontificis eas distribuendi potestatem in dubium pro eo tēpore uocauerat: quia etiam aperte summam hanc potestatem in Pontificis manu esse fatebatur, ut in l. eius Operum Tomo legere est. Quod idem Lutheri prædecessor Ioannes Hussus factus fuit, qui contra Ecclesiæ limina impingens, ab igne deuoratus est, ex decreto Spiritus Sancti in Constantiensi Concilio: ut nihil ex eo reliquum manserit præter cineres, leuibus ludibrium ventis datos. Ille enim accusatus quod hanc Romani Pontificis potestatem in dubium reuocaret, *Concedo*, inquit dicto loco, *Papam qui est immediatus Iesu Christi Vicarius, potestatem habere largiendi Indulgentias & alia quæ pertinent ad Clauium potestatem: qua qui receperit, tanto magis Deo appropinquabit.* Fuit id opportunè hoc loco monendum, ut eorum error ostenderetur, qui Lutheri religionem, ut scilicet vetustatis aliquam opinionem ipsi conciliant, cum Hussij religione copulant, & eandem fuisse aiunt, ipso Luthero inuito, qui Hussitam se appellari, aut quod eius hæresis faueret insinulari, ægerrime tulit. *Numquam* (inquit ad Eccium, in disputatione Lipsiensi) *Bohemorum se hisma ego approbauero, quamuis diuinum ius pro se habuerint:*

quam propria & priuata auctoritate se ab Ecclesia separarint, & unitatem eius ruperint. Hussio, (inquit Lutherus alibi) *meum non conuenit: qui si hæreticus fuit, ego decies plus fui.* Ille enim tantum paruum quid dixit, & Veritas lumen afferre cœpit. Sed hominis huius inconstantiam & fraudulentam linguam in stabilienda sua hæresi libro IV. apertius in propatulo omnibus videndâ proponemus. Verū est uti Hussius magis infami & cruciabili morte periijt; ita ex eius cineribus Lutherus deterior est enatus. Ea pro re ut Lectori satisfaciam, Ioannis Hussij historiam suo loco aliquot Capitibus describam dabo: quæ licet à seculo quod describendum sumus, aliquanto sit remotior, non tamen à subiecto nostro abhorret. Et quem admodum Hussius V. Vicleui, ita Lutherus Hussij deliramenta ex parte est imitatus.

IV. Itaque Lutherus cum Aduersarijs scripto ac voce confisgens ad dicendam coram Asculano Episcopo & Syluestro Pricrate causam nuper Romam citatus (hosen enim Pontifex delegarat, ut rationes ipsius audirent, & si persisteret, tamquam contumacem & rebellem condemnarent) vociferari, Dei hominumque fidem implorare, ne Romam ire, & coram Syluestro, quem apertum sibi inimicum dicebat, causam dicere cogeretur, deprecans Vt enim crimen nihil magis quam Iudicis frontem & tribunal reformidat; sic Lutherus vel ad nomen Romæ trepidabat. Vel vultus Inquisitoris metum ei mortis iam dudum incusserat. *Nec S. Petrus, aiebat, nec S. Paulus ego sum. Neronem illum valde metuo.* Et ut desperatio necessitati remedia subministrat, sic Lutherus nullum omnium auxilia implorandi finem faciebat. (a) Inter alios ut dixi, causam eius suscepit Fridericus Saxonix Dux, scriptisque ad Pontificem litteris pro eo intercessit, Pontificis etiam Legatum coram appellauit, spem faciens se Lutherum in viam reducturum: tantumque effecit, ut causa eius Legato ventilanda commissa fuerit. Ad quem Lutherus his verbis scripsit: *Fateor & alias factus sum, me emerarium fuisse, nec supremi Pontificis nomen quæparet reuerentia usurpasse, quamuis insignatus fuerim. Agnosco maiori modestia uti me, hancque materiam maiori charitate tractare, nec stulto ita respondere debuisse, ut stultitia eius particeps fierem. Huius facti sane me poenitet: omnesque ut mihi ignoscant oro.* Non multo post Lutherus, sub die octauo Octob. A. 1518.

a Selnec fol. 7. 6. 3.